



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Psalmi, Sev Precationes D. Ioan. Fisheri Episcopi
Roffensis**

Fisher, John

Lvgdvni, 1572

Psalmvs VIII. Vt protegatur ab inimicus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41688

Præsta mihi pro bonitate tua , saltem
modò assumere initia bene viuédi.Amen

*PSALMVS VIII. VT
protigatur ab inimicis.*

Deus omnipotens , scrua me ab ini-
micis meis , & in virtute fortitudinis
tuæ protege me.

Custodi animam meam quoniam san-
ctus es tu,saluum fac seruum tuum,qui in
te confidit.

Alieni enim quotidie me oppugnât, &
animam meam quærunt, vt perdât eam.

Deus adiuua me , Domine ab insur-
gentibus libera me.

Deus in adiutorium meum intende:
Domine vt me iuues festina.

Esto mihi in protectionem,& in locum
munitum, vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea , & refugium
meum es tu , propter nomen tuum de-
duc me, & dirige me.

Mi Deus, eripe me de manibus inimi-
corum meorum,ne proicias me in tem-
pore tribulationis , cum omnis defecit
mea virtus.

Aduua me Domine Deus,& salua me
propter misericordiam tuam.

Miserere

Miserere mei, ô Domine Deus salutis
meæ, & in iustitia tua eripe me,

Ab infestatione me persequantium, ab
hostili cursu, qui me vndique obcingunt.

Confundantur & deficiant, qui ani-
mæ meæ aduersantur, operiantur op-
probrio & confusione, qui malum mihi
quærunt.

Reuertantur cum ignominia multa illi
qui dicunt, Deus deseruit eum, persequa-
mur & comprehendamus: nam non est
qui eripiet.

O Deus adiunge te animæ meæ, con-
forta eam, ab inimicis meis eripe me.

Disperde illos in virtute tua, & forti-
tudinem illorum confringe.

Ne dicant inter se, hunc superauimus,
& omnino deiecimus.

Saluum me fac Domine Deus, in te
enim speraui, dic animæ meæ, ne metuas,
quia ego tecum sum.

In manu tua sors mea, libera me ab i-
nimicis meis, quoniam adhuc non ces-
san.

In dies augescit sœvitia eorum, & cœ-
tus robustorum irruunt in me, & non po-
nunt te in conspectu suo.

Sed tu Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax.

Respice ad me, & miserere mei: da fortitudinem tuam seruo tuo, quoniam te inuoco, & effundo preces meas in conspectu tuo.

Hostes mei exultant, eo quod lapsus sum, & deflexit cor meum à via tua.

Sed ego in misericordia tuo confido, de salute tua cor mihi gaudet,

Quoniam bonus tu es, in æternum misericordia tua, & vsq; in generationem & generationem veritas tua.

Exultent & lætentur in te, omnes qui te quærunt: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutem tuam.

*PSALMVS NONVS
contra inimicos*

Domine, ecce quam multi sunt qui me tribulant, quam multi qui contra me insurgunt.

Dicunt inter se de anima mea, quod à Deo non est ei salus speranda.

Domine Deus, in te spem meam posui, salua me ab ijs, qui me persequuntur, & eripe me.

Ne